







1783,5

**P A C T O**  
**HEREDITATIS RENVNCIATIVO**  
**PERFECTO, CAETEROS RENVNCIATI**  
**LEGITIMOS HEREDES, RENVNCIANTE REMOTIORES,**  
**VEL OMNINO NON, VEL IN SOLA LEGITIMA**  
**ADMITTENDOS ESSE.**

D I S S E R T A T I O.

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV  
P R A E S I D E

**D. HENRICO GODOFREDO BAVERO**

HEREDITAR. IN STOETTERIT. PROF. COD. ORD. ECCLES. CATHEDR.  
MERSEBVRG. CAPITVLAR. SERENISS. SAXON. ELECTOR. A CONSILL.  
PROVOCATT. SVPR. CVR. PROVINC. ET COLLEG. ICTOR. LIPSS.  
ASSESS. COLLEG. DVCAL. MINOR. SODAL.

**IN AVDITORIO ICTORVM**  
**SVMMORVM IN IVRE HONORVM CAPESSENDORVM**  
**CAVSA**

D. III. IVL. A. C. MDCCLXXXIII.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT

**IOANNES GOTTLIEB ZSCHASCHLER**

IVR. VTR. CANDIDAT.

D R E S D E N S.

L I P S I A E

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.



163 d

n-  
it-  
o-  
e-  
il  
so  
ig-  
ie  
u-  
r-  
ie  
g,  
g  
n-  
n  
br  
n  
ie  
l-  
n





P A T E N T  
H E R E D I T A T I S R E N U N C I A T I V O  
P E R R E S T O S C A E T E R O S R E N U N C I A T I  
I E G I T I M O S H E R E D E S R E N U N C I A N T E R E M O T I S  
V E S O M N I O N O N V E L I N S O L A L E G I T I M A  
A D M I T T E N D O S E S S E

D I S S E R T A T I O

I N V E S T I T I S I C T O R U M O R D I N I S C O N S E N S U

F R A S I D E

I N H E N R I C O G O T T L I E R U H A V E R O

I N A D I T O R I O G E R M A N I A E  
I N S T A T U T I S I C T O R U M O R D I N I S C O N S E N S U  
M E M B R O R U M C O N S I L I I S I C T O R U M C O N S I L I I  
P R O C E S S U S I C T O R U M O R D I N I S C O N S E N S U

I N A D I T O R I O G E R M A N I A E  
M E M B R O R U M I N V A R E H O N O R I U M C A P I T U L O R U M

C A P A

D I E I V E N A E M D C C C X L I I

A D P R E S T A N D A M P R O V I D E

I O A N N E S G O T T L I E R X S C H A S C H E R

I V M V T R C A N D I D A T

D E S S A U

D I S S E R T

E X O F F I C I N A R E G I S T R A R I A





B. C. D.

*Introitus, quo demonstratur, Germana ex genio Germanorum interpretanda esse.*

**S**ecundum id, quod DAVID. GEORG. STRVBEN in *Tom. V. der Nebenstunden, Tractat. XXXII. §. 12.* sub fin. apprime notat, et quod probat *Illustr. IOANN. STEPH. RÜTTER in Dissert. de Normis Decidendi Successionem familiar. illustrium controuersam, §. 63.* Germanorum placita ad nos translata sic oportet interpretari, ut appareat, memorem fuisse originis et naturae negotii, idemque laudatus STRVBEN *cit. loc. §. 21.* et IVST. HENN. BOEHMER in *Dissert. de Fundam. Pañtor. famul. ad fideicomm. inclinanti. Cap. II. §. IX.* de pactis ad futuram hereditatem directis diserte affirmat. Nec potest haec cautio ad aliam rem magis pertinere. Si in negotio quidem, omnium consensu Romanis inuidioso et improbato, maximam partem origine, et omnino vsus frequentatione Germano, hoc nemo neget, et, ex quo aetas ICtorum vnice iuri Romano studere destitit, priscasque Germanorum consuetudines recolere coepit, nemo negavit. Ut totam rem verbo complectar, non potest certi quid de obligatione ex pacto de omittenda hereditate (ob communem



nem loquendi usum renunciatiuum appellare liceat) in posteros transeunte constitui, nisi ad causam respiciamus, quae ad illud ineundum maiores nostros inuitauerit, nisi oculos et aures ab iis auertamus, quae Romanorum placita pactis hereditariis ocllamant, et contra naturam et efficaciam expiscamur, quam ipsum ius Romanum pactis licitis asserit. Hac via in re nobis proposita ingrediamur. Eaque incedendum esse, facillime probatur. Primum principium, ad introspectendam negotii indolem et vim conducere, causam nosse, ex qua prouenerit, nemo impugnabit, ob decantatum illud, tum demum de vera legis significatione constare, si rationem et mentem legislatoris exploraueris. Secundum principium, nullo Iuris Romani capitulo, quod pacta successoria tractat, hodie quicquam probari posse, verissimum esse, ex eo cernitur, quod scimus, haec pacta nostro iure permitti et confirmari, eorumque adeo intuitu ius Romanum, quod ex recepto valet, legis auctoritate destitui. Denique ex hac ipsa pactorum nostrorum approbatione consequitur, ad eorum vim et efficaciam introspectendam conferre debere, quae de pactis licitis eorumque natura in iure Romano generatim obveniunt. Audi enim Praetorem: *pacta conuenta, quae neque dolo malo, neque aduersus leges erunt, seruabo, l. 7. §. 7. D. d. Pact.* Ex quo consequitur, quia nostro iure turpitudine pactorum successeriorum nulla est, ea hodie, ex ipsa iuris civilis ratione et quasi consentu, secundum naturam caeterorum pactorum iure permissorum ceneri debere.

§. I.

*Diuersae aduersariorum opiniones recensentur.*

Positis his, rem praesentem aggrediar. Qui pacto de non succedendo renunciantis liberos successionis iure priuari negant,



negant, in varias partes abeunt. Alii, ne posse quidem parentum conventionem, liberos, eosdemque heredes, exui hereditario iure, autumant, alii liberis non heredibus patrocinantur, heredibus parentum renunciantium, non aequae. Neque de eo constat, renuncians liberos, quorum nullam fecerit mentionem, simul intellexisse confendus sit, an minus. Haec singula persequamur, iisque absolutis, de effectu pacti renunciatiui, quoad caeteros remotiores successores, itidem dispiciamus.

## §. II.

*De natura pactorum, qualem ius Romanum constituit.*

Promissa seruire, ipsa natura praecipit. Hoc praecipitum ius Civile tantopere tuetur, vt vel factio promitti posse, et, quod appareat promissum esse, praestare constituat. Si non quidem solum accepimus, eandem taciti vim esse, quam expressi, sed hoc apertius etiam confirmat illud PAVLI in *l. 2. D. d. Pact. tacite consensu conuenire intelligitur; Et ideo, si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos conuenisse, ne peterem; profuturamque ei conuentionis exceptionem placuit.* Et si de effectu conuentionis dubitetur, id, quod actum, seu, quod contrahentes cogitasse verisimile sit, vel, si hoc non pareat, quod in regione, in qua actum sit, frequentetur, sequi iubemur, *l. 34. D. d. R. I.* Dein sua natura pacta non in personam, sed in rem, id est, eo animo fiunt, vt heredes paciscentium simul comprehendant. Si, quo exemplo VLPPIANVS in *l. 7. §. 8. D. d. Pact.* vtitur, *generaliter paciscor, ne petam.* Neque, ex eiusdem VLPPIANI sententia, personae mentio hoc animo facta existimatur, vt personale sit negotium, sed, vt demonstretur, quocum conuenierit. Inde notissimum illud, quilibet pro se et heredibus suis pacisci intelligitur, in odiosis



aeque, quod ex adductis ICi verbis *ne petam* claret, ac fauorabilibus causis, l. 40. D. eod.

§. III.

*De origine pacti renunciatiui in Germania.*

Quae quum Romanis ita fuerint visa, genio Germanorum, quos TACITVS dexteritate et promissorum fide inter caeteras Gentes eminuisse testatur, multo magis esse debent consentanea. Hos inter, ex eiusdem TACITI verbis, *heredes successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum*, colligimus, ab origine pactiones super hereditate incognitas fuisse. Quum sit credibile, quos, videbatur mirari, testamentorum, Romanis tantopere acceptorum, vsum ignorare, si vidisset, de futura hereditate pacisci solere, huius rei aequae, ac legitimae successio- nis fecisse mentionem. Idem antiquissimae Gentium Germanarum leges confirmant, dum certum succedendi ordinem et modum constituunt, de conventionibus huius rei causa faciendis nihil habent. Videntur potius Germani, quamdiu suis moribus vixerunt, in ea fuisse opinione, deberi hereditatem, quibus eam leges addicant, ob eamque causam, si quid ecclesiae, vel alii largiri voluerint, id inter viuos donationes, et rei donatae traditione effecisse, et, esse sic efficiendum, existimasse. Postquam vero placita Romanorum iuris auctoritatem in Germania nancisci, exisque priuatorum causae, patriis consuetudinibus posthabitis, iudicari coeperant, factum est, vt maiores nostri aegre ferrent, legitimam bonorum allodialium siue hereditariorum successioem hoc peregrino iure perturbati, et, quae adhuc solis filiis cesserant, eorum partem filiabus tribui. Quam vt effugerent molestiam, suisque consuetudinibus perpetuitatem conciliarent, passim statuta condebant, in hunc finem collineantia, passimque filiarum promissione,



fione, praesitum iri obsequium patris moribus, filiorum securitati consulebant, vt, quod viderint iuris allegatione praestari non posse, certe pacti, ac doli mali exceptione obtineretur. Cuiusmodi filiarum promissiones pacta renunciatiua appellari consueuerunt, conseruatiua rectius dicenda. Cum non id agerent, vt iure debitum remitteretur, verum, vt immunitas ab obligatione, successiorem admittendi, ipso suo iure munita, conseruaretur, et, qualem a maioribus acceperint successiouis rationem, talis in posteros transmitteretur. Quae de historia pacti renunciatiui in hac Spho enarraui, attuli propterea breuiter, quia a Praefide in Dissertat. D. IOH. DAVID. BEHLINGII inaugurali, *de Pacto Renunciatiuo §. 13. S. fat* prolixè probata sunt, add. PFEFFINGER. *ad VITRIAR. Tom. IV. Lib. III. §. 79. not. b. pag. 199.* SELCHOW *Instit. Iprud. Germ. Lib. IV. Cap. III. Sect. I. §. 398.* plane omittere non potui, quia ad filum susceptae probationis pertinent.

### §. III.

*Eius ratio et vis exponitur in posteros renunciantis transitoria.*

Etenim, quum viderimus, diuersitatem inter legitimam Iuris Germanici et Iuris Romani successiorem, quarum illa, solis vrensilibus siue geradicis rebus filiae relictis, caetera omnia bona filiis et ex filio nepotibus tribuebat, haec vero omnium, restitutioni post mortem non obnoxiorum, aequalem filiabus partem cum filiis largiebatur, votum peperisse, vt pristinum succedendi ius pacto restituerent, necessario consequitur, animum esse debuisse, vt filiae ab hereditate patris abdicatione simul eius posteri continerentur. Igitur, quod in genere de obligatione ex pacto proficiscente VLPPIANVS et PAPINIANVS in *l. 7. §. 8.* et in *l. 40. D. d. Pact.* vt supra monui, testantur, eam simul ad promittentis heredes pertinere, in pacto hereditatis



ditatis renunciatio, ob negotii naturam, locum in primis habere debet. Non obuertat, hanc rationem inter nos, qui animum reuertendi ad antiquos Germanorum mores dudum deposuerimus, parum efficere posse. Quod ab origine rei repetiti, non feci, ut totam rem hac obseruatione exhauriam, ut solum demonstrarem, meam de re proposita opinionem cum eius origine amice consentire. Hoc enim largior, nihil interesse, cum filia hoc pactum, an cum alio factum sit legitimo successore. Aut solus stipuletur bona relicturus, aut, cui ea destinantur, factam de non petenda hereditate promissionem simul accipiat. Eadem in quibuscunque exemplis hanc in rem oblati subesse debet ratio, quod malit promissarius alium habere successorem, quam renunciantem. In cuius locum si animus sit eiusdem liberos surrogare, quid ob stare possit, quominus hoc ipsum pacto exprimat. Quod si non factum, idque potius, ut alius fiat heres, agatur, quia contra naturam est, velle finem, et media, quibus obtineatur, nolle, oportet, ut renunciantem censeamus, non suo solum, sed simul liberorum suorum nomine renunciaisse, talemque renunciationis vim et effectum stipulatorem intellexisse, et voluisse. Hanc interpretationem, praeter ea quae attuli, alia iuris argumenta commendant. Regulariter in iure nostro, quod firmitus est, et plenius, praesumitur. Nec ignoramus, hereditatum renunciations plerumque non gratis, sed accepto aliquo pretio fieri, *Art. 13. L. I. Iur. Provinc. Sax. Ius Lubec. Part. II. Tit. II. Art. 34.* quod quis facile dederit, si sciat, succedendi ius a solo renunciante, non simul ab eius liberis, redimi.

§. V.

*Quae an dominii naturae conueniat, quaeritur.*

Verum ex probabili paciscentium voluntate res nondum conficitur. Non minus nosse debemus, an in potestate parentum



rentum sit, hereditatem liberis iure adscriptam pacto adimere. Hoc enim, quantum scio, omnes admittunt, si, delata hereditate, ipse renuncians superstes sit, eius liberis ius hereditatem petendi tribui nullum posse. Quod ut largiantur acerrimi causae liberorum defensores, ipsa successione legitima natura efficit, quam norunt omnes, viuo patre, ab ascendente quodam, vel cognato proueniat, filio non deferri. Sin vero renuncians ante eum moriatur, cuius futuram hereditatem se petere nolle professus est, hoc pacto an efficiat, quominus hereditas liberis renunciantis lege deferatur, certi quid constitui non potest, antequam sciamus, ab renunciantis arbitrio hoc pendeat, an minus. Quod equidem ex grauissimis argumentis, partim proximis, id est, in re ipsa positus, partim aliis, quodammodo quidem remotioribus, ob cognationem tamen vel similitudinem cum re nostra singularem egregie opitulantis, probabo. Singula haec pragmaticorum, quo in causis forensibus vtuntur, more, recensero et perducam, antequam alios appellem iuris interpretes, mihi suffragantes, et in recitandis conuellendisque aduersariorum ratiocinibus laborem.

§. VI.

*De natura successionis testamentariae, eiusque pugna cum legitima.*

Iure Romano ex duabus causis hereditas defertur. Testamento videlicet, et lege. Ab origine, legitima successione derogari per testamentum non posse, iudicabant, nisi hoc etiam nouae quasi legis speciem haberet, vnde eius condendi in competitis calatis necessitas. Et quanquam liberiozem XII. Tabb. potestatem patri familias largiebantur, tamen, ne quid contra leges fieri videretur, oportebat, potius profiteri bonorum aliena-

B

aliena-



alienationem per aes et libram, quam super hereditate dispositionem, prout hac de re sentit cum BYNKERSHOECKIO HEINECCIUS ad *Pandectt.* Lib. XXVIII. Tit. I. in not. §. 2. subiecta. Quam ob rem, quum noua quasi, et a iure communi diuersa lex, super mortis causa successione, testamento fieri existimaretur, inde putarim petendum esse, quod neminem sinunt, pro parte testatum, pro parte intestatum decedere. Videlicet, non posse ordinariam lege stabilitam successionem in eius hereditate locum inuenire, qui illam ipsa testamenti factione se reprobare declarasset. Hoc certum, relicto testamento iure perfecto, ex iis nemini hereditatem deferri, qui ad eam lege vocantur.

§. VII.

*Legitimam successionem cum pactitia simul stare non posse, donationis exemplo illustratur.*

Hodie quum pacto ius hereditarium constituere pariter liceat, ac testamento, ex natura rei consequitur, si cui ex pacto debeatur hereditas, eandem legitimo successori nequaquam deferri. Ponamus, rem singularem inter viuos sic donatam, vt donans eam post mortem donantis ab herede accipiat, donatariumque ante donantis mortem viuis ereptum, quis facile donantis heredem a rei donatae praestatione propterea, quod non ipse donatarius donanti sit superstes, immunem, et non potius, donatarii heredem rem donatam iure suo petere, affirmet. Ex promissione pure facta, cuius executio in tempus differtur, statim dies cedit, vt tantum, quod promissum est, antequam dies venerit, peti non possit. Et, quia statim debetur, in heredem a creditore transfertur. Nonne istam moueat, qui putet, creditoris heredi pecuniam mutuo datam propterea non deberi, quod ipse creditor ante tempus



tempus solutionis decesserit. Nec cernitur in hac re vlla inter donationis pactum et mutui aliumue contractum differentia. Res commodata commodanti eiusue heredi non magis debetur, quam donatario et huius heredi res pure donata. In genere, aequè ex pacto, atque ex contractu, promanantia iura et obligationes in heredes transeunt, modo non cautio adiecta demonstratur, ne promissum stipulantis personam egrediatur, vel natura negotii cum respectu ad scientiam et industriam personae coniuncta sit, vel aliunde de contraria paciscentium mente constare possit.

## §. VIII.

*De similitudine donationis cum pacto hereditatis adquisitio, et hereditatis petitione, quam hoc operatur.*

Donationem rei singularis, cuius traditio post mortem donantis differtur, et pactum hereditatis vniuersae acquisitionum hoc vnum interest, vt in illa, quod donatum sit, species vel quantitas, donatario ab herede, in hoc, quantum superfit, stipulanti ab hereditatis possessore debeat. Quin hunc ipsum cum pacto adquisitio communem habere potest, vereque habet, effectum donatio, si gerada vel bibliotheca aliaue vniuersitas incrementi decrementique capax donatur. Tota res plana, et nullis dubitationibus obnoxia esset, si qua patria lege, cui hereditas ex pacto debetur, contra eius possessorem diserte suppeditaretur hereditatis petutio. Videri quidem quodammodo possimus iuris communis constructionem rationemque offendere, si affirmamus, ex pacto fieri domini transitum. Verum res ipsa postulat, vt affirmemus. Dum leges nostrae, et inter has praesertim *Decis. XIII. d. a. 1746.* nulla traditionis clauium vel alius rei futuram hereditatem notantis, eiusque ob receptum vsufructum redditionis, necessitate adstructa, permit-



permittunt, pacto ius hereditarium acquirere, eoque perfecto, hereditatis promissorem, nulla admissa distinctione, stipulatori superuixerit, an minus, non sinunt in fraudem promissi quicquam testamento, codicillo, vel mortis causa donatione efficere, vt potius, sola inter viuos disponendi libertate recepta, quam ipsam certis limitibus circumscribere modo laudata lex patitur, quantum superest, post promittentis mortem stipulanti, vel, quod res ipsa innuit eius heredi vindicent, necessario debemus aut heredi pactitio addicere hereditatis petitionem, aut, nihil actum esse *dist. Decis. XIII.* concedere. Etenim, dum hereditatem, quam scimus omnes esse ius reale, pacto acquirere Serenissimus Lator permittit, dum pactitio heredi eam asserit, ab eaque testamentarium, si quis forte postea scriptus sit, remouet, et hoc ipso legitimum simul virtualiter heredem excludit, non potest non simul hereditatis petitionem, quippe remedium obtinendo isti fini iure constitutum, simul approbasse. Neque existimes, hoc esse nouum, nostra demum *Decis. XIII.* effectum. Vt potius ex generali pactorum hereditariorum approbatione consequatur, et quousque haec patent, ad vniuersam Germaniam pertineat, prout iam pridem obseruauit *IUST. HENR. BOEHMER in Dissert. de Fundamento Pactorum familiae ad Fideicommissa inclinantium. Cap. II. §. 10. num. 1. adde MENCCKEN ad Pandect. L. V. Tit. III. §. 2.* Ex his vero simul consequitur, nostro iure in pactitium heredem vniuersae substantiae dominium ex ipso mortis articulo a destincto transire, adeoque, quia nihil potest esse, et non esse simul, delatae pactitio heredi hereditatis non cogitari delatio legitimo heredi facta.

## §. IX.

*De iure ex pacto acquisitio in promissarii heredes transeunte.*

Sed quorsum haec omnia disputantur, mihi videor te occupantem audire, quid conducit natura pacti successione acquisitiui



acquisitui ad cognoscendam vim et effectum renunciatiui? Ego  
 vero aut plane nihil video, aut hoc, inde rei nostrae introspi-  
 ciendae plurimum lucis affulgere. Celeberrimo inter Illustres  
 Confraternitatis pacto, nouimus omnes, id agi potissimum, vt  
 paciscentium posteris mutua succedendi iura tribuantur. Haec,  
 quatenus circa allodia versantur, ex sola paciscentium volunta-  
 te subsistunt, nec Imperatoris v. *Capitulat. IOSEPHI I. §. 38.*  
 verbis; *und von dem Lehnthum kein Dependenz habender etc.*  
 consensu opus habent, quod recentioribus *Capitulatt.* non im-  
 mutatum, potius generaliter confirmatum esse, testantur in  
*Capitulat. Nouiss. et FRANCISCI Art. I. §. 9. et Art. XI. §. 2.*  
 Quod, quanquam Principes tangit, quorum, superioritate  
 territoriali, et ex hac legislatoria potestate pollentium, libe-  
 rior est facultas, tamen, quia hi inter se, praesertim si con-  
 trahunt, priuatorum iure viuunt, hoc certe probat, contra  
 naturam non esse, super successione rerum, quae pleni domi-  
 nii iure habentur, pacisci, horumque pactorum vim in paci-  
 scentium liberos, proferre. Vereque hoc efficere pacta suc-  
 cessionis acquisitiua, vt stipulanti non solum ipsi, sed eius si-  
 mul posteris ius hereditarium nascatur in bonis successionem  
 promittentis, *d. Deest. XIII.* euincit, dum stipulantis ante  
 promittentem mortui, liberos, ab hereditate non areet, adeo-  
 que virtualiter similem Confraternitatis pacto, conventionibus  
 priuatorum successoriis eo certius tribuit effectum, quo magis  
 hic, quod §. 2. probauimus, naturae pactorum respondet.

§. X.

*Argumentum ab adquisitiuis ad pacta renunciatiua ductum.*

Quae quum ita sint, aequae minus alienum, vel tale, quod  
 repugnet rei subiectae, videri debet, si affirmamus, renun-  
 ciatio hereditatis pacto simul liberos renunciantis, superuix-  
 crit,



erit, an minus, contineri, vt potius hoc ex praemissis pronu-  
 aluo fluat. Primo, dum contrariorum similis est ratio, ex  
 eo, quod §. 8sq. probauimus, per acquisitiuum hereditatis  
 pactum ex ipso mortis, quae in promittente contingit, mo-  
 mento, dominium vniuersale heredi pactitio, eiusue praemor-  
 tui liberis tribui, siue, quod minus est, hereditatem iis de-  
 ferri, consequitur, renunciatio hereditatis pacto effici, quo  
 minus renuncianti eiusue posteris hereditas, pacto dimissa, ex  
 lege deferri possit. Ius nostrum, quod ab initio vsu, dein  
 legibus de viuente hereditate pacisci permittit, et hac data ve-  
 nia libertatem et ambitum domini dilatauit, ius hereditarium  
 in commercio constituit, cuius dum acquisitio acquirentis li-  
 beris est proficua, quidni alienatio alienantis heredibus dam-  
 nosa? Non obstat, prouisa esse iura ad efficiendam alterius  
 inscii conditionem meliorem, quam deteriorem, quod in illa  
 quidem, non aequae in hac consensus praesumi patitur, ne-  
 minique licere iniquam alteri conditionem inferre. Hoc  
 enim ad personas spectat, quarum quaeque suo iure vitur,  
 non ad heredes in vniuersum defuncti ius succedentes. Quod  
 probauimus, pacta, nisi de contraria paciscentium mente  
 constet, realia, seu in heredes transitoria esse, per se patet,  
 ad obligationes aequae, ac iura ex iis promanantia pertinere.  
 Quumque adeo ius nostrum non acquirere solum, sed remit-  
 tere etiam pacto hereditatem sinat, conficitur, vtrumque si-  
 mul lucro damnoque heredum fieri debere.

## §. XI.

*Eiusdem argumenti continuatio.*

Neque propter praemissa inter liberos heredes et non  
 heredes distinguendum esse videtur. Etenim quum videri-  
 mus, acquisitiuum pactum statim ex quo coauerit ius perfe-  
 ctum



ctum et irrevocabile pactio heredi tribuere, vi cuius ipsi invito, quantum post mortem superest, nec per testamentum alicui tribui, nec legitimo heredi relinqui possit, vt ipsi potius ex momento mortis, quam promittens patitur, hereditas deferatur, vi contrariorum intelligitur, renunciatiuum pactum, admixta venditione vel donatione fiat, alienationem iuris hereditarii, et per hanc exclusionem renunciantis, eiusue prae-mortui liberorum inferre debere. Dum pacta hereditaria ius nostrum probat, dat veniam, super viuentis futura hereditate pacisci, et, legitimo succedendi ordine sublato, alium conventionem substituere. Quod si factum, et ius hereditarium ex lege proficiscens pacto remissum, non est, quod, mortuo ante hereditatis delationem renunciante, in eius liberos transmitti, vel, si etiam concesserim, non opus esse transmissione, iis in hereditate renunciata postea eveniente nasci possit. Quod, quatenus verum sit, infra copiosius demonstrabimus.

§. XII.

*De pactis renunciatiuis in specie, et personis, quae in iis concurrunt.*

Frequentissimae hereditatum renunciaciones in filiabus, certe in liberis obveniunt, eum in finem factae, vt patris matrisue hereditas ceteris renunciantium fratribus sororibusue cedat. Fiunt aut solis, quorum hereditatem respiciunt, parentibus, aut frater, vel soror, cuius fauor subest, pacto accedit, et renunciacionem accipit, aut denique inter fratres sororesue, insciis parentibus, conuenit, vt alter alteri iure suo olim in bonis parentum succedendi cedat. Si, pacto continetur, in cuius vtilitatem contrahitur, quum admixtum sit renunciatiuo adquisitiuum, secundum (§. 9.) proposita res clara est, obueniente hereditate, cessionario partem cessam

ex



ex pacto deferri, quam, infecta cessione, cedenti eiusue liberis lex detulisset. Sin renuncians cum solo patre pacifitur, in huius quidem arbitrio est, ius ex pacto quaesitum remittere, et legitimam successionem restituere, vel partem remissam et amplius testamento condito reddere. Quod si tamen haud fecit, et in conuentione perstitit, ex eius morte itidem ceteris liberis, quorum causa renunciatum, tota hereditas defertur, excluso renunciante.

§. XIII.

*De effectu stipulationis alterius commodo factae.*

Idque ne a Romano quidem iure abhorret, Germanorum moribus omnino conuenit. Illo nimirum, quod ex §. 19. *I. d. Inutil. Stipulat.* claret, factae alterius potissimum favore stipulationes, quatenus praestari promissum, stipulantis interest, non sunt inutiles. Possè vero patris stipulantis siue promissarii interesse, ne quid renuncians capiat, ipsa res loquitur. Vel, quod seruando familiae splendori inuigilans, opes inter multos, filias praesertim, in aliam gentem transeuntes, spargi nolit, vel quod viderit inter suos a paterna virtute et honore deficere, vel in prodigalitatè inclinare, et ob id a maioribus accepta, vel suo labore parta, maximam partem, iis tribuere cupiat, quorum mores saniores cognouerit, et quos accepta tuturos esse praeuideat, vel quae sunt, id genus alia. Nostro iure res decantata est, pacto alteri per alterum obligationem actionemque acquiri posse, etiamsi ne huius quidem intersit, multoque adeo magis, si, satis promisso fieri, referat, vt solum, quamdiu tertius non accesserit pacto, et promissarii consensu ius hereditarium, ab altero remissum, acceptione suam fecerit, stipulans obligationem remittere valeat. *MEYIVS Part. IV. Dec. 112. SCHILTER Exercit.*



*ercit. VIII. th. 39. WERNHER Part. I. Obseru. 182. n. 16. et 31. et in Supplem. nou. ad eand. Obs. n. 3. 4.*

§. XIV.

*Renunciantem semper censendum ius suum remittere.*

At, quia in pacto nostro de hereditate agitur, quae uiuentis nulla est, et ex morte demum incipit, videri possit de re aliena quid promississe renuncians, facta eius extensione ad casum, quo post renunciantis mortem ipsa hereditas pacto expressa capit initium. Quum ex euentu appareat, renunciantem de re non sua, sed liberorum suorum, pepigisse. Verum nec hoc argumentum tanti est roboris, vt nostram de liberorum obligatione sententiam, possit infirmare. Nubecula, quae rei veritatem obtegit, statim dispellitur, modo consideremus, principale obiectum pacti renunciatiui esse ius hereditarium, secundarium tandem hereditatem ipsam hoc iure percipiendam. Ius hereditarium, cognatione, et per hanc lege quaesitum, esse in bonis renunciantis, non eius liberorum, quo tempore fit renunciatio, nemo inficiatur. Et hoc esse sufficit. Quod si quidem ponimus, nihil de hereditate conuenisse, testamentum potius conditum, in eoque, post habitis legitimis, alium heredem institutum testatori non superstitem, verum est, hereditatem instituto non delatam in eius heredes transire non posse, ipsum potius testamentum, quippe herede destitutum, deficere, legitimamque hereditatem restitui. Longe aliter comparata est successio pactitia.

§. XV.

*De differentia inter testamentum et pactum successorium quoad effectum.*

Testamentum, quod vltimae voluntatis, ad supremum vitae spiritum vsque ambulatoriae, adeoque liberrimo poenitendi



nitendi arbitrio obnoxiae est testatio, ex morte testatoris capit initium, et ob id heredem institutum testatori superstitem requirit. Cuius rei, quippe notissimae, probatione facile supersedeo. Longe alia est pactorum indoles. Haec ex mutuo consensu perficiuntur, nec, nisi mutuo contrario consensu, contractae iis obligationes resolvi possunt, *l. 35. D. d. R. I.* Inde est, ut in aestimandis obligationibus, quae ex testamento descendunt, non ad conditum testamenti, sed mortui testatoris tempus, in censenda vero pactitia obligatione ad eius initium spectandum sit, uti PAVLVS post *l. 18. et l. 144. §. 1. d. R. I.* Ut, si, mutata monetae qualitate, super pecunia legata lis oriatur, in legato testamentario ad mortis tempus, in legato contra a pactitio herede relicto, (quis enim neget, hoc fieri posse,) ad tempus initi pacti successorii, quoad aestimandum constituendumque genus monetae, procul dubio respicere debeas.

### §. XVI.

#### *Eiusdem argumenti continuatio.*

Igitur, quanquam nepotes, patre orbat, aucto secundum stirpem ex lege succedunt, quanquam hac legitima successione per repudiationem paternae hereditatis non priuantur, neuiquam conficitur, renunciationem a patre factam, delata post huius obitum aui hereditate, iis innoxiam esse debere. Ut potius, quia nepotum, patre superstite, ius in aui hereditatem nullum est, quia ius nostrum super iure hereditario pacisci, illud aequè acquirere atque dimittere pacto, adeoque pactitiam successione in legitima locum surrogare, hanc illa excludere permittit, quia denique obligationes pactitias ex tempore initi pacti metiri oportet, necessario consequatur, pacto renunciatio id effici debere, ut hereditas, cui per



per illud tributa sit, deferri debeat, adeoque non magis renunciantis liberis, factis patris heredibus vel non, quam ipsi renuncianti, deferri ex lege possit. Etenim, si dicas, renunciantem, ne super re aliena transegisse videatur, ipso iure existimandum esse, in euentum, si sibi deferatur hereditas, renunciasse, ex iis, quae hactenus proposuimus, principiis facile demonstrari potest, vix speciosam hanc, certe falsissimam esse conclusionem.

§. XVII.

*Repetitio argumentorum pro transitu obligationis ex renunciatione in posteror.*

Si primo quidem pugnat cum origine nostri pacti, eiusque introducendi ratione, in eo posita, vt bona hereditaria, exclusa ab iis filia eiusque posteritate, soli filio huiusque liberis conseruarentur. Dein pugnat cum fine, etiam hodie in hereditatum renunciationibus, videlicet, vt, cuius commodo fiunt, ad eum bona perueniant, personis paciscentibus proposito, eodemque nunquam non, pretio sat graui, comparari solito, quod, si rem incerti euentus fore suspicarentur, impensum iri non est credibile, quum nemo praesumi patiatur, res suas temere iactare voluisse. Porro repugnat communi factorum naturae sic comparatae, vt obligationem non solum perpetuam, sed etiam sic perdurantem efficiant, qualem ab initio pepererint. Denique successionis hereditariae indoli aduersatur, flagitanti, vt, quemadmodum iure Romano legitima condito testamento iure perfecto excluditur, sic hodierno neque lex cognationis neque testamentum quid efficere possit contra successionis ordinem pacto constitutum. Quae quum non minus fortia sint argumenta, quam indubitatis iuris principiis superstructa, qualem quaeso potest commenda-



mendationem habere ea, cuius in praeced. §pho mentionem feci, et ex qua IOH. VLRIC. CRAMER. Tom. I. Opusc. III. Cap. I. diffusam de *Pactō hereditario renunciatio filiae nobilis*, tractationem inchoat, definitio, quippe, *pactum hereditarium renunciatio-  
tium esse, quo quis promittat, se velle abstinere ab hereditate futura, ubi sibi fuerit delata.* Profecto, si a domini natura non habet, habere nullam potest.

§. XVIII.

*De domini iure Germanorum antiquo circumscriptione, et extensione per leges nouas.*

Hoc vnum ad confirmandam meam sententiam superest, vt probem, eam esse iure nostro domini libertatem et ambitum, vt quisque possit ius succedendi in res hereditarias eum ad effectum remittere, eique renunciare, vt eius liberis spes illud recipiendi nulla relinquatur. Antiquo Germanorum iure bona hereditaria, a maioribus accepta, sine heredum legitimorum venia alienare non licebat, *art. 52. Lib. I. Iur. Prov. Sax.* Nihil refert, inquirere, omnium, proxima fuerit, an remota succedendi spes, consensu opus fuerit. Hoc certe verum, ex hac ipsa libertatis in rebus suis circumscriptione prope nihil hodie, praeter retractum in fundis auitis, ante quam dominium per resignationem et inuestituram transferatur, exercendum superesse, *Const. XII. ac XXXI. P. II.* docemur, caeteris ad iuris Romani normam redactis, quod satis amplam dominis in rebus suis potestatem tribuit, nouis nostrorum Principum placitis, quantum, salua fide creditoribus debita, cuius studii maxime laudabilis exemplum exhibet *Decis. nouiss. XXX.* fieri potuit, etiam magis vel amplificatis, vel certe confirmatis.

§. XIX.



## §. XIX.

*Quatenus domini libertas nostro iure restricta sit.*

Ius Romanum praeter limites donationi, ne inofficiosa, sine cum deminutione legitimae coniuncta sit, et alienationi in fraudem creditorum factae positos, liberrimum domino de rebus suis statuendi arbitrium relinquit. De suis inquam; hoc est, omnino suis, restitutioni neque ex conuentione, neque ex testatoris voluntate obligatis, vel pignori subiectis. Neque solum de rebus actu possessis. Sed, quemadmodum spes debitum iri, in obligationibus sub conditione contractis, ob id ipsum, quod, vt supra monui, ad initium rei in pactis respiciendum, et, an dies cesserit, inquirendum est, in heredes transmittitur, vt, existente post stipulantis mortem conditione, heredi debeat *§. 4. I. d. Verbor. Obligat.* aequo iure non minus efficaciter, in damnum heredis, futurae, an, vel quando sit exitura, incertae perceptionis spes valide remittitur *l. 46. in fn. D. de Pact.* Cui domini potestati dum ius nostrum veniam super hereditario iure pacificendi adiecit, cum hoc pacto aliter comparatum esse debeat, idonea ratio reddi, quantum video, non potest.

## §. XX.

*De effectu separationis bonorum iure statuario susceptae.*

Vereque non esse, prostant alia, eademque fortiora argumenta. Prodeat inter haec primum separatio bonorum multis passim statutis, inter quae illud, magnae in foro auctoritatis, Lubicense nominasse sufficiat, parentes inter et liberos concessa et stabilita. Audi verba *Lib. II. Tit. II. Artic. 34. Wenn ein Vater seinen Sohn oder Tochter zur Ehe aussteuert, mit sonderlichem bescheidenen Guthe, der Meinung, dass also das*  
 C 3 Kind



Kind von ihm soll abgetheilet und abgesondert seyn. Würde damit der Sohn oder die Tochter neben ihren Freunden, und Vormunden, der Zeit begnüget und friedlich seyn, so ist solche Person, Sohn oder Tochter abgesondert und abgetheilt, es sey wenig oder viel. Die anderen Kinder aber, welche mit den Eltern in gesammten Gathe bleiben, die sollen haben das andere nachgelassene Guth ihres Vaters und ihrer Mutter, et finalia art. praeced. Würden aber die Kinder, ihre Freunde und Vormündere damit nicht zufrieden seyn, sondern ihnen protestando das Vater- oder Mutter- Theil ausdrücklich vorbehalten, das seynd keine abgesonderte Kinder; nec non MEVIUM ad hunc artic. num. 151 sq. sic testantem: sicut autem separatio excludit filium, filiamue, ita et effectum eundem extendit ad omnes ex his descendentes, ubi fratrum separatorum liberi pariter per separationem parentum exclusi censentur. Id, quod sine textu ratio sentire iubet, nam, filia ob dotem acceptam per statutum exclusa, nepotem exclusum censeri, concorditer asseritur. Nec enim maior fauor nepotis, tanquam remotioris, esse potest, ac filii filiaeque. Praeterea, dum liberi separati id, quod suum est, sub assignata portione percipiunt, iuris sententia creduntur parentes mortui, et liberi iis successisse. Quo circa nepos demuo successione, quae censetur fuisse penes filios, frui non poterit. Quam suam sententiam firmissimis rationibus ex iure et rei natura petitis innixam aliorum iuris interpretum ab ipso laudatorum consensu magis commendare studet. Et quanquam insequentibus verbis profiteretur, aliter de effectu renunciatiui pacti, respectu nepotum, si filius renuncians ante patrem obierit, ex communi interpretum sententia statuendum esse, neminem facile praeteribit, MEVIUM, quominus ab illa communi sententia, quoad pactum renunciatiuum, secesserit, non rationum pondere conuictum, sed contradicentium numero, atque tum temporis in foro auctoritate deterritum esse.



## §. XXI.

*De similitudine bonorum separationem et pactum renunciatiuum  
intercedente.*

Si hoc quidem ex ipsa ratione claret, quam adducit in verbis subsequētib; pro nepotum exclusionē, dum dicit, admitti hos ad aui hereditatem, in patrem, vel ob mortem praematuram, vel ob delictum culpamue, non deuolutam, remoueri, si pater in alterius fauorem excludi debuisset. Quis illam, in morte vel delicto renunciantis, et non hanc ipsam in alterius, fratris plerumque et eius liberorum, commodo collocatam rationem, vti iam supra monui, pacto nostro subesse existimauerit. Et quas in verbis huc transcriptis rationes proficitur MEVIUS, non posse nepotum, quippe remotiorum, maiorem esse, quam filiorum fauorem, separatos non gratis, verum data vel assignata certa bonorum portione, fecerni, et hanc ob rem quasi iuris sententia patrem mortuum, et bonorum eius in liberos deuolutam censi successione, has inquam rationes non minus pacto renunciatiuo, quam bonorum separationi esse consentaneas, ipsa res loquitur. Istud nimirum per se planum est. Ad hanc quod atinet mortis, quae in parente contigisse supponatur, fictionem, itidem per se patet, eam non magis ad separatam, quam renunciatione alienatam, pertinere hereditatem. In vtraque hoc agitur, vt parentum hereditas, excluso separato vel renunciante, in alterum transferatur. Vt vel ipsam separationem, renunciatio anteire necessario debeat. Adeoque pactum renunciatiuum vel consuetudo vel lex prouincialis, bonorum separationem illo effectam lex municipalis tueatur, et quam haec operatur praeuiac renunciationis sequelam, ipsam videlicet bonorum separationem, eandem pacto renunciatiuo adiicere debeat vel expressa lex, vel certe iuris ratio et analogia. Vt verbo dicam, praeter

amit  
aden.  
Sohn  
viel.  
Gu-  
ihres  
aber  
eden  
Theil  
nec  
sicut  
u ex-  
liberi  
d si-  
latu-  
Nec  
li fi-  
sub  
entes  
ione,  
sen-  
nni-  
ensu  
ver-  
ectu  
om-  
cile  
ntia,  
on-  
tum.  
XXI.





ter formam externam, vtrumque parum discriminis intercedit.  
Vt ne forma quidem valde differat.

§. XXII.

*Eiusdem argumenti continuatio.*

Etenim ad secundam quod spectat rationem, separatos non gratis, verum accepta certa portione bonorum, fecerunt, ex verbis §. 20. transcriptis intelligimus, legem Lubecensem requirere, vt liberi a parentibus aliquam bonorum partem capiant, quam sibi sufficere, consultis proximis cognatis, ipsi, eorumque, si per aetatem habere debeant, tutores putent, et, in qua acquiescentes, ius reliqua parentum bona iure hereditario aliquando capeffendi, fratribus fororibusue suis concedant. Accepta bonorum pars, vt legitimam expleat, non esse necessarium, verba textus, *es sey wenig oder viel*, innuunt. Ipsaque rei natura, quum propter fructus, ad quemlibet ex rebus suis, non eius liberos, pertinentes, nulla sit viuentis legitima, mors parentum serius, an ocius euentura, eorumque substantia incrementum, an decrementum receptura, vehementer incertum, demonstrat, portionem ex mortis articulo lege debitam certam constitui non posse. Caeterum eorum, quae circumstant, verique simillima sunt, habendam esse rationem, requisitum consensus cognatorum, et, pro re nata, tutorum indicat. Ius nostrum propemodum eadem postulat. Ne renunciationibus vel alius generis alienationibus, liberis legitima subtrahatur, hoc velle Serenissimum Llatorem, intelligimus ex *Part. II. Const. XII.* verb. *Es soll aber gleichwohl etc.* et *Const. XXXV. §. 2. et §. 3.* verb. *und der Vater wäre darnach reichet worden etc.* Summam rei hanc esse existimo, non posse ob monita §pho antec. inserta, legitimam ad certum reduci, esse tamen, habito ad eam respectu, omnem, ne defraudentur liberi



25  
berī, operam impendendam. Laesionem, si qua probari possit, reparandam, nisi iurisiurandi religio, ad perficiendam obligationem in filiarum renunciacionibus necessaria, accesserit. Contra hanc denique solum alterius dolum iustam praebere exceptionem.

§. XXIII.

*De forma renunciacionis a liberis recipiendae.*

Etenim non existimo, hac de re ob *Decision. nouiss. XIV. d. a. 1746.* aliter sentiendum esse, quae lex in eo versatur, vt explosa personarum vnitae, quae veteri iure patrem et liberos suos intercedere fingitur, pacta inter hos inita, modo minoribus curator accesserit, omīssa etiam emancipatione, firma et rata in genere habeat, non, vt obligationes in hoc vel alio negotio speciali lege praescriptas tollat. Hoc tamen largior, hac lege recte defendi, etiam in pacto renunciatiuo liberis maioris aetatis de laesione in legitima conquerentibus non aeque facile, ac minorennibus a curatore defensis subueniri. Dein, vt in his eiusmodi lites praecedantur, opus esse, vt conuentio coram iudice contrahatur, ab eoque, praevia causae cognitione, interposito decreto confirmetur, quod praeterea tacite videtur commendare *Lex tutelar. Nouiss. d. d. 10. Octob. 1782. Cap. XXII.* Neque existimandum, facultatem assentiendi pacto renunciatiuo, quippe speciem donationis habenti, omnino extra limites esse potestatis iudici concessae. Si liberos quidem, ea bonorum parte, quae legitimam explet, accepta, futurae hereditati renunciantes donare, propterea negandum esse censeo, quod ipsis praeter legitimam nihil debetur, nihilque referre potest, quod reliquum est, pacto ipsis, an testamento adimatur, vt potius, facta legitimae portionis iure pleni domini translatione, ex fructuum, quos demum



demum post mortem parentis sperare fas est, perceptione lucrum capere, suamque conditionem meliorem efficere possint. Quod si quis unionis prolium exemplum meditans, quam haec desiderat, cautionem, v. HOMMELII FERD. AVG. *Diss. de genuina unionis prolium indole Lips. 1726.* adhibere fategerit, laudarem. Caeterum haec omnia latius persequi nefas, quia iura renunciantis ingrediuntur, non eius liberorum. Hos enim, si quae sint contra renunciationem ipsam exceptiones, iis ex parentum, quorum heredes sunt, persona recte uti, non inficior. Ad nos vero de obligatione liberorum hoc loco dicentes proxime non pertinent. Adeoque sufficit, demonstrasse, separationem bonorum parentes inter et liberos factam, iure *Lubecense* stabilitam, pactumque renunciativum, parentes inter et liberos initum, quo hi ab illorum hereditate remouentur, vel ad finem respexeris, vel ad naturam obligationis, hoc vel illa effectam, parum interesse. Et quis facile sibi persuadeat, fieri potuisse, ut separationis bonorum effectus ad separatorum, parentibus haud superstitum, liberos produceretur, si eiusmodi extensio contra naturam dominii esset, si libertatis, cuiuslibet in suis rebus competentis, limites excederet.

#### §. XXIV.

##### *De renunciationis in successione feudali effectu.*

Si qui forte sint, qui hoc sibi persuadeant, eos vehementer errare, plura ex iure nostro deprompta argumenta euincunt. Feudorum naturam hanc esse omnes scimus, ut, exclusis filiabus, ad filios ex iusto matrimonio procreatos deuantur, ut ex ipsa feudi comparatione hoc succedendi ius filiis nascatur, et prima domini directi inuestitura confirmetur. Huiusque rei causa feuda naturae suae relicta, ex pacto et prouidentia



dentia maiorum appellari, et opponi hereditariis fuerint ab  
 interpretibus, GEORG. AD. STRVV. *Synagm. Iur. Feud. Cap.*  
*IV. §. II.* CASP. HENR. HORN. *Iurisprud. Feud. Cap. IV. §.*  
*33.* Quod, iure an iniuria factum sit, in medio relinquo.  
 Hoc certe neminem praeterire potest, non aequè liberum va-  
 falli super feudo, ac domini super rebus omnino suis, statuen-  
 di arbitrium esse. Vel, quod minus est, ac plane nulli du-  
 bitationi obnoxium, non posse domini in rebus pleni domi-  
 nii iure possessis magis limitatam esse potestatem, quam vasal-  
 li in feudo. Eadem est simultaneae inuestiturae ratio, vt eius  
 concessione simul omnes simul inuestiendi legitimi filii com-  
 prehensi esse intelligantur. Huius praecipua et propemodum  
 vna cernitur vtilitas in successione iure ex ea promanante.  
 Ridendus esset, qui inter priuatos venditionem, donationem,  
 oppignorationem feudi antiqui, refutationemue fauore agnati  
 vel simultaneae inuestiti, a vasallo factam, eius filios non con-  
 sentientes, prima quippe inuestitura comprehensos, vel a  
 successione non arcere, vel ad reuolutionem non obligare dixe-  
 rit, propter ea, quae apud KNIPSCHILD. *d. Fideicomm. Cap.*  
*XI. num. 396 sq.* occurrunt. Sufficiunt his refellendis *Tit. 45.*  
*Feudor. L. II.* et inter nos *Cod. Aug. Part. I. p. 151. §. setzen,*  
*ordnen etc. §§.* et *Const. XXXI. Part. II.* Sed haec mittam,  
 quia alienationem rei a domino actu possessae inuoluunt, et  
 in hoc a negotio nostro differunt, quod in dimittenda spe futu-  
 rae perceptionis versatur. Vtar potius simultaneae inuestiti  
 exemplo, qui hoc ius non suo sibi pacto quaesuit, sed ex  
 translatione in se a maioribus facta habet. Hunc ponamus  
 vel feudi oppignarationi consentire, vel deminutioni quanti-  
 tatis pecuniariae, in locum successione feudalis pacto surro-  
 gatae, vel ipsa simultanea inuestitura se abdicasse, eamue  
 omissa renouationis petitione deseruisse. Quae si quis filiis  
 eiusmodi simul inuestiti, vasallo haud superstitis, damno non  
 esse



esse futura diceret, risum non minus moueret, v. *Suppl. Cod. Aug. Part. I. pag. 1025. §. 11. pag. 1029. Tit. V. §. 1. pag. 1032 §. 4.* Nec ab his diuersa est iure communi conditio agnatorum, et ex his descendendum, v. *STRVV. t. 1. Cap. XIV. §. 23.* Et quis denique magis dubium duxerit, quin expectatiuae remissio ab expectuato facta huius posteris capiendi olim lucrispem eximat.

§. XXV.

*Parentum remissionem liberis non obstare in fideicommissis.*

Inprimis limitata cernitur domini potestas in rebus ex fideicommittentis voluntate alteri restituendis. Habet quidem fideicommissum hoc cum beneficiis commune, vt, quemadmodum in his vasallus ex pacto domini directi et primi acquirentis, in illo fideicommissarius ex fideicommittentis dispositione ad successionem vocetur, adeoque neuter eam proximo antecessori acceptam ferat. Haec tamen vtrumque differentia intercedit, vt beneficio per feudum a maioribus prouenienti lex modum statuatur, illudque ad nepotem, nisi filii heredem, peruenire nolit, in fideicommissis contra, sustinere et conservare testatoris voluntatem, singula iuris capita eadem severitate studeant, *l. 69. §. 3. d. Legat. II. l. 3. §. 2. C. Comm. d. Legat.* Complures alias praetermitto. Quae, dum fiducia interdicunt alienationem rei restituendae, efficiunt, quominus reliqui, quibus succedendi spes est, rei distractioni consentientes suae posteritati, fideicommissio simul comprehensae, successionis commodum auferre valeant. Non obstant *l. 120. §. 1. d. Legat. I. et l. 11. C. d. Fideicom.* loquentes de fideicommissio in iis, qui vel alienant, vel alienationem ratam habent, exeunte. Quodsi enim consentientibus proles supersit, ad quam res vendita ex mente testatoris deuoluenda est, omnes consentire, dici nequaquam potest.

§. XXVI.



## §. XXVI.

*Licet remissio simul nomine liberorum facta sit.*

Et quoniam alteri iniquam conditionem inferre non licet, *l. 14. D. d. R. I.* nec magis parentes hac potestate firmitur, ut potius bona liberorum studiose conferuare iubeantur, et, si contra fecerint, id nullum habeatur, *tot. tit. C. d. Bon. matern.* non existimo, secundum praecepta Iuris Ciuilibus mitius iudicandum esse, si parentes non solum suo, sed diserte liberorum simul nomine alienauerint, factaeue alienationi consenserint. Quod quanquam affirmat WERNHER *Part. II. Obs. 422.* suumque facit HOMMEL *in Promptuar. Iur. Bertoch. voc. liberi*, equidem ob rationes modo redditas probare non possum.

## §. XXVII.

*Nocet tamen parentum alienatio rei fideicommissariae liberis heredibus.*

Modo liberi rem, patre annuente, vel ab ipso distrahant petentes, eius heredes non sint. Etenim eorum opinionem, qui filium patris heredem ad repetitionem fideicommissi ab hoc alienati admittant, quorum causam agit KNIPSCHILD *Cap. XI. num. 394 sq.* nequiquam accedo. Nec sunt argumenta, quibus utitur, ita comparata, ut conuincere possint. Notissimae sunt regulae, *ex qua persona quis lucrum capiat, eius factum praestare debere, et, quod contrahentibus obstat, eorum non minus heredibus ob stare l. 143. 149. D. d. R. I.* Nec minus notum est, successorem in vniuersum ius defuncti ex hereditate promanantem *l. 62. eod.* potissimum ad obligationes conuentione effectas pertinere, et ob id quemlibet intelligi non solum pro se, sed etiam pro heredibus contrahere, id est



contractu suo pariter heredi, atque sibi ipsi, ius acquirere obligationemue imponere voluisse, nisi secus de animo contractantium appareat, vel natura iuris obligationisue in heredem produci haud patiatur. Illud facti, non iuris est, hoc sine lege, hoc loco deficiente, defendi non potest.

§. XXVIII.

*Refutantur KNIPSCILDII contradicentis argumenta.*

Igitur, quod ait KNIPSCILD. patrem censi iuri in suum fauorem constituto, non simul ei, quod ad heredis personam spectat, renunciafle, per se concidit, expresse a patre facta heredis mentione, sed et, omiffa ea, concidit. Etenim sufficit, constituere heredem eandem cum defuncto personam, adeoque ad euictionis praestationem, factique proprii agnitionem, non minus obligari, quum nihil intersit, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem (videlicet pacti, vel doli mali,) possit remoueri *l. 112. d. R. I.* Accedit, quod supra monui, ex consensu eorum, quorum interest, ipsa lege permittente, fideicommissi distractionem fieri *d. l. 120. §. 1. d. Legat. I. et l. 11. C. d. Fideicomm.* vbi, quoties ab omnibus, qui, alienatione facta, ad fideicommissi petitionem aspirare possunt, venditio celebratur, aut quibusdam vendentibus alii consenserint, contractus auctoritas conuelli nequaquam potest; et notissimam esse praesumptionem, quemlibet negotium, quod persistat, quam, quod ex tempore resoluitur, suscipere maluisse. Quod praeterea defendit KNIPSCILD. heredem defuncti factum impugnare posse, quoties non hereditario, sed proprio iure nitatur, adductis in probationem legibus refellitur potius, quam stabilitur. Siquidem laudata *l. 73. D. d. Euit.* constituit, heredem, factum defuncti ex iure proprio impugnantem vel doli mali exceptione summoueri, vel, si  
obu-



obtinuerit, euictionis causa posse conueniri. Nec diuersi quicquam habent *l. 25. et final. C. d. Euidt.* Et quanquam *l. 1. sq. C. d. Bon. Matern.* liberis vindicationem maternorum a patre nulliter distractorum tribuit, non agit de liberis hereditibus. Totam rem *l. 31. D. de Liberal. caus. l. 14. C. d. R. V. l. 3. et 5. C. d. Reb. alien. n. alienand.* conficiunt. Etenim qui prohibetur vindicare, quod suum est, non minus a petitione rei arcendus est, quae eius futura erat, et quominus fieri possit, eius factum obstat, quod praestare accepta hereditate se obstrinxit, seu, quod ipse esse iuris intellectu reputatur. Unde mirandam non est, numerosum interpretum agmen KNIPSCHILDIO contradicere ab ipso *Cap. XI. num. 368 sq.* laudatorum. Miror tamen, ipsum HARTM. PISTOR. *Lib. II. Qu. IX. num. 9.* me inter hos reperire, acerrimum causae liberorum defensorem contra hereditatis a patre factam renunciationem. Horum itaque inter liberos heredes et non heredes distinguendum sententiam cum LEYSERO in *Specim. CCCIII. Medit. V.* ad ius commune quod attinet, amplector.

§. XXIX.

*Recensetur norma tollendis fideicommissis in Decis. nouiss. X. praescripta.*

Alia omnia iure Saxonico Electorali sentienda esse, *Decis. X. d. a. 1746.* docemur. Haec fideicommissum, quorum interest, consensu tollere aut omnino vetat, quippe superstibus in primo vel secundo gradu constitutis, inter eos, qui ad successionem a testatore vocantur, aut ubi, ceteris paribus, id est, saluis requisitis simul constitutis, permittit, parentum consensu liberos omnes, heredes, vel non, natos et nascituros, eorumque posteros complectitur, eandemque tollendae successioni ad Senioratum et Maioratum adstrictae normam praescribit.



scribit. Nullo discrimine admisso, per testamentum, an conventionem modo dictus ordo successionis, in allodio, an feudo sit constitutus. Possit enim hoc pactis, v. c. donatione, cui quilibet legem iure suo statuit, vel divisione hereditatis, nec non in feudis, accedente domini directi consensu, a primo eius acquirentore, quatenus legitima liberi non defraudantur, vel etiam a successoribus, secundum supra §. 24. notata, effici, certum est. Et quanquam est verisimile, Serenissimum Electorem in *d. Decis. X.* de successione ab ordine legitimo discrepantibus, ex ultimae voluntatis dispositione, (qua videlicet una fideicommissa proprie perficiuntur) oriundis cogitasse, eadem tamen lege simul omnes eiusmodi rerum singularium successiones, pacto stabilitas, defunctis earum statutoribus, comprehendi, ob rationem diversitatis omnino deficientem, nequaquam dubito.

§. XXX.

*Praemissorum repetito, et ex iis conclusio, renunciantis liberos ab hereditate renunciata esse repellendos.*

Quum igitur haecenus demonstraverimus, pacta successoria et inter haec renunciatiua esse domestica, legibus patriis probata et stabilita, adeoque ad cognoscendam eorum naturam et vim ex iure Romano ea solum pertinere, quae pactis licitis tribuuntur, praeter haec vero respiciendum esse ad eorum originem, et introductionis causam. Hanc in eo positam esse, ut filiae earumque posterii a successione fundorum auctorum excludantur, nec posse aliam hodie cogitari, quam, ut successio a legitimo herede in eum transeat, cuius favore pactum coerit. Quum praeterea viderimus, ex venia super futura hereditate paciscendi Germanis data consequi, ut heres pactitius non minus legitimum heredem excludat, ac testamen-



mentarius iure Romano antecellit, et, quia pactiue obligatio-  
 nes non nisi mutuo paciscentium contrario consensu resolui  
 patiuntur, in iisque aestimandis initium rei spectandum est,  
 confici, vt heres pactiuis ius perfectum in hereditate ipsi  
 promissa adquirat, nullo casu postea eueniente ipsi inuito ex-  
 torquendum. Quam porro probauerimus, hunc esse iure no-  
 stro dominii ambitum, vt cuique de rebus suis, modo nec in  
 creditorum, nec in legitimae fraudem committat, liberime  
 statuere, spem futurae perceptionis simul heredis damno di-  
 mittere, a successione beneficiaria, ex simultanea inuestitura  
 quaesita, quin fideicommissaria, item ad Senioratum et Maio-  
 ratum adstricta, suo et liberorum nomine, se abdicare liceat.  
 Eandem denique separationis bonorum iure statuario stabilitae  
 efficaciam esse, vt praeter liberos separatos posteritatem eorum  
 simul omnem successione in bona parentum expertes faciat.  
 Haec argumenta satis praegnantia esse duco, ad persuaden-  
 dam eam nobis sententiam, pacto hereditatis renunciatio le-  
 gitime peracto non renunciantem solum, sed simul omnem  
 eius posteritatem iure successione pacto remissae destitui.

§. XXXI.

*Liberi renunciantis heredes sint, an minus, praesertim iure  
 Sax. Electorali.*

Ac, dum cogitari nequit, magis restrictam esse potesta-  
 tem, eximendi spem succedendi in rebus pleni dominii iure  
 possessis, quam ex fideicommissio restituendis, hoc in liberis  
 renunciantis heredibus, quaquauersum patet super futura he-  
 reditate paciscenti licentia, per §pho 28. tradita omnino indu-  
 biu esse. Nec magis dubium aequae Germanico, atque in-  
 primis nostro Saxonico Electorali iure, argumento ex *d. Decis.  
 nouiss. X.* ducto, in liberis non heredibus. Denique eam du-  
 bitatio-

E



bitationem, renuncians simul liberos intellexisse censendus fit, an minus, plane inanem esse. Huius conclusionis veritatem principia, quibus innitur, tantopere demonstrant, ut quicquam amplius conquirere opus non sit. Vnum illustrationis causa addam. Omnes propugnant interpretes, non obstare renunciationem successioni, omnibus sine prole extinctis, quorum causa renunciatum sit. Quod admitto, quia effectus cum causa efficiente simul cessat, et, quia haec solet renunciationibus liberorum, uti ab initio monui, causa subesse, ut iure succedendi in bonis parentum fratribus suis, eorumque liberis cedant, ob eamque rem pacto haec tacita insit conditio, si fratres isti eorumque liberi ei, de cuius agitur hereditate, supervixerint. Ut vel, separatione liberorum ex statuto facta, mortuis ante patrem sine prole liberis indiuisis, effectus separationis resoluatur. MEV. ad Ius Lubec. Part. II. Tit. II. Art. 33. n. 162. Quae quum ita sint, quis facile negauerit, ipsa rei natura consequi, ut quamdiu supersunt, quorum commodo facta est renunciatio, tamdiu nec renuncianti, nec eius liberis ad bona renunciata regressus pateat.

### §. XXXII.

*Cuius rei veritas repetitis ex iure Civili argumentis confirmatur.*

Estque per §. 17 sq. probata certissimum, filio renuncian-  
te patri hand superstitite, a nepote illius non herede frustra peti  
huius hereditatem. Quamquam enim secundum iuris Civilis  
praecepta, filio, ante patrem mortuo, huius testamentum ne-  
pos, non scriptus heres, quasi posthumus rumpit §. 2. *I. de Ex-  
heredit. Liberor.* hoc tamen testamentum et pactum successo-  
rium sua utriusque natura vidimus interesse, ut illud, ob ar-  
bitrium ultimae voluntatis ad mortem vsque liberum, ex hu-  
ius



ius momento demum vim obligandi fortiatur, contra in hoc initium rei spectandum, eiusque adeo vis et effectus ex qualitate negotii, ab initio repetendi, iudicandus sit. Eandemque ob causam, quia nepoti, cuius pater vivit, ab avo successio non debetur, dubitare nefas, quin pacti renunciatiui exitus perdureret, quamvis avo morienti non filius ipse renuncians, sed ex hoc nepos superfit, qui a patris sui hereditate abstinuerit. Annon vero huic, persistente praeterea pacti renunciatiui efficacia, legitima ex avi hereditate debeatur, id mihi quidem iustus disceptari videtur. MEVIUS, quem §. 21. adduximus, suscepta bonorum parentes inter et liberos separatione, horum posteros ab illorum hereditate propterea arcet, quod parentes dicit separationis tempore mortuos iuris intellectu existimandos esse. Ex assè respondet hoc argumentum modo dicto iuris principio, pacti valorem ex eius origine iudicandum esse. Scimus tamen legitimam nepotibus ex avi filio superstitis hereditate deberi *d. §. 2. l. d. Exheredat. liberor.* eandemque legitimam ex tempore mortis eius, de cuius agitur hereditate, censi *l. 6. C. d. Collat.* nec imputanda in eam esse, quae eo tempore in bonis petitoris nec sunt, nec esse eius dolo deserunt. *d. l. 6. l. 2. §. 2. D. d. Collat. Bonor.* denique, qui id egit, ne habeat, eum nequam existimari, habere dolo desuisse *l. 1. §. 23. D. d. tit.* Ex quo, si quid video, consequitur, nepotem ab hereditate patris abstinentem, iure compelli non posse, ut, quae pater acceperit, in legitimam sibi ab avo debitam imputari sinat. Scimusque praeterea, hoc debitum legitima comprehensum patriis legibus confirmari *P. II. Const. VIII. IX. XII.*



## §. XXXIII.

*Praestanda tamen est nepoti renunciantis non heredi legitima ex aui hereditate.*

Quae quam ita sint, quum desit lex, quae illam iuris necessitatem, mortuo filio, qui pacto paternae hereditati renunciauerit, nepoti legitimam relinquendi, eximat, non video alium ex hisce difficultatibus exitum, quam, vt affirmem, pacti renunciatiui obligationem perdurare, simulque largiar, legitimam nepoti superstiti, patris non heredi, ex bonis ab auo relictis deberi, nisi filii renunciationi, liberorum simul nomine factae, Principis confirmatio accesserit, et legis instar, anteuertit, quominus nepoti iusta in legitimam bonorum ab auo relictorum petitio nasceretur. Etenim pactum renunciatiuum, rupti testamenti exemplo, a nepote omnino dissolui propterea nequit, quia huius ex morte, illius ex initio valor aestimandus est. Vereor tamen, lege deficiente, vt hoc iuris principium illam *MEVI* fictionem, quasi mortuum censendum esse, cuius hereditati renunciatur, sustineat, adeoque, quia vis obligationis pactitiae paciscentes eorumque heredes sua natura non egreditur, negare non ausum, legitimam pactitio heredi in commodum nepotis decrescere, quum res in eum statum peruenerit, ex quo illa nepoti deberi coepit. In hoc igitur, existimo, bonorum separationis pactique renunciatiui effectum differre. Caeterum, quam illi statutum vsualis eius interpretatio vim tribuit, eandem huic ex Principis confirmatione tanquam privilegio accedere posse, neququam dubito.

## §. XXXIV.

*Negatur, filium, repudiata hereditate, obligari, vt conferat, quae pater acceperit.*

Si me convincere possem de veritate sententiae, quam data opera defendit WERNHER in *Obs. 449, Part. VI. nepotes auo*



auo cum patris succedentes a patre suo accepta conferre teneri, licet huius hereditatem repudauerint, auderem defendere, nepotem ex sui patris renunciatione ab aui successione omnino repellendum esse, illius heres sit, an minus. Sed, quantum video, (nihil enim alio vnquam studio, quam veritatis, defendere soleo) grauiora sunt, et ad conuincendum aptiora STRYKII d. *Success. ab Intest. in Dissert. XI. Cap. II. §. 15.* in nepote, patris non herede, et ad aui hereditatem adspirante, illam obligationem negantis argumenta, in iisque refellendis WERNHERVS frustra laborat. Ad aui successione[m] nepos, sui patris heres non factus, ex iure Ciuili stricte fit dicto admittatur, an Praetorio, *L. ult. C. vnt. lib.* sufficit, admitti. Quo ipso enim patris non heres ad aui hereditatem admittitur, consequens est, vt iure proprio admittatur, et vt repraesentatione non sit opus ad successione[m] assequendam, sed ad partes hereditatis faciendas. Et quum verum sit, collationem ex tempore mortis, et per hanc delatae hereditatis fieri, eaque sola, quae mortis tempore supersunt, quaeque quis dolo desit possidere, collationi obligari, non apparet, cur nepotis durior esse debeat, quam filii, conditio, ad collationem, nec dolo nec lata culpa amissorum, haud obstricti, per probata sub fin. §. 32. Etenim quis neget, eorum, quae pater acceperit, penes filium, qui ab eius hereditate abstinuerit, nihil esse, nisi a viuo, alios defraudandi animo, acceperit, quo quidem facto, per exceptionem, ob dolam ad conferendum obligari, non inficior. Quae vt remoueat WERNHERVS, propugnat, nepotem ex iure a filio in se deuoluto succedere, adeoque, lucrum ex eius persona capiendo, ad eius facti praestationem obligari.



*Nepos auo proprio iure succedit, non a patre in se deuoluo.*

Vereor tamen, ne hoc ipsum principium falsum sit, certe eius veritatem mihi persuadere non possum. Potitur quidem nepos iure auo succedendi ob id, quod sanguinem a patre ducit. Verum hoc ex accidenti contingit, non ex patris in filium merito. Idem in fideicommissis familiae accidit, cuius compotes posteri non essent futuri, nisi gentiles essent. Et quis ex hoc affirmauerit, successionem eos parentibus suis debere, non testatori, quum sciamus, rem ab illis alienatam vindicare non prohiberi *d. l. 69. §. 3. d. Legat. II.* Quemadmodum testatoris voluntas fideicommissum substituto, permitte lege, tribuit, ipsa lex immediate ex aui filio superstitis hereditate nepoti legitimam adeo asserit, vt simul testatorem prohibeat, nisi ex iusta causa fiat, eam vel adimere, vel diminueri. Est igitur ius perfectum, petendi legitimae successionem, iis quaesitum, qui lege ad eam vocantur, mediante pacto successorio, leges enim hac in re tacent, aequae minus adimendum, ac mulieri, quod largiuntur omnes, licet, quicquam suscipere, quo detrimentum fiat mobiliari marito debitae successioni. Anteuertere fideicommissariae successioni *Decif. nouiss. X.* copiam facit. Si lex esset, quae eandem intuitu legitimae veniam daret, vel quae hanc vim pacto renunciatio conciliaret, non reluctarem. Deficiente ea, mihi persuadere non possum, multoque minus concedere *d. Decif. X.* quicquam effici posse. Siquidem nouimus, ab vno ad alterum diuersum non valere consequentiam. Erat iure antiquo ius perfectum omnium gentilium, suo ordine capiendi fideicommissi familiae relictis successionem, sed non minus nostris legibus perfectum ius est, legitimam sibi oblatam capessendi.



## §. XXXVI.

*Vindicatur legitima nepotibus filii non heredibus contra*  
WESTPHALIVM.

Non magis conuincor HENR. BINNII in *Dissert. d. Renunciacionibus successio- num §. 74 sq.* ac Excellentiss. ERN. CHRIST. WESTPHALII argumentis, quibus in *Tractat. von der Wirkung eines Erb-Verzichts in Absicht der Nachkommen*, ante hoc quinquennium Halae edita §. 10 sq. vtuntur, vt probent, nepotes ex filii renunciacione, heredes, vel non heredes, ab aui hereditate omnino repellendos esse. Ille hanc vim vnice patris menti tribuit, qui existimandus sit, recipiendo filiae renunciacionem, totam eius lineam excludere voluisse. Quod largior. Sed nego, quod cum effectu quoad legitimam velle potuerit. Hic vtitur exemplo sponsionis et expectatiuae, per legatum relictae, eiusdemque expectuuantis heredi remissae, cuius conditio post promissarii mortem extiterit. Ex illa heredi ius nullum nascitur, quia obligationes pacto contractae contrario paciscentium consensu relaxantur, *l. 35. D. d. R. I.* quin debiti remissio etiam sine acceptatione liberationem operatur *l. 23. l. 53. D. d. Solut.* Ad illam quod attinet, distingo, soli legatario, aut eius simul liberis expectatiua legata sit. Si illud, affirmo, legatarii remissione expectatiuam resolui, quia fauori suo quisque valide renunciat, nullum enim, legatario testatori haud superstiti, expectantiae legatum exstitisset: Sin hoc, nego, ob similitudinem huius legati cum fideicommissio familiae relicto. Posteros, ad ius hereditarium quod attinet, a maioribus pendere, vt probet, affert nepotem ex spurio genitum, ab aui hereditate repellendum, quia filius superstes nihil accepturus fuisset, indeque concludit, facta a filia renunciacione, nihil nepoti deferri posse, esse enim idem, nihil habuisse, vel, quod habueris, remisisse. Quatenus filius remittit,



tit, quod suum est, consecutionem concedo. Ad legitimam igitur hoc pertinere non potest, ex lege proficiscentem, domini que libertati exemptam. Largior praeterea Viro Celeberrimo, idemque supra attuli, nepotis, filio, ex quo descendit, superflite, ius in aui hereditatem nullum esse. Ob eamque causam propugno, factam a filio renunciationem perdurare, patri promissario superfit, an minus. Verum hoc non impedit, quominus, filio praemortuo, legitima nepoti ab auo ex lege delata, et ob id alterius pacto non adimenda, eaque per paternae hereditatis repudiationem conseruata, substantiae ab auo proficiscenti decrefcere possit. Caeterum sola hac legitima, quam nepoti patris hereditate abstinenti tribuo, excepta, WESTPHALIO plane accedo, laetorque, me eum consentientem habere, dum propugno, quaecunque de pactis successoris in iure Romano obueniunt, ob mutata horum transuersamque in licita ex illicitis naturam ad nos pertinere omnino non posse.

### §. XXXVII.

#### *Recensentur LVDOLFI ET STRYCKII consentientium opiniones.*

Omnino sententiae meae patrocinator GEORG. MELCH. DE LVDOLF *d. Iur. Foeminar. Illustr. Part. II. Cap. I. §. 22.* Si quidem heredes (non liberos) filiae renunciantis ex eadem ratione obligari affirmat, qua omnium pactorum vinculum in heredes transeat. Eorumque opinione narrata, qui filiae ante patrem defunctae liberos, tanquam proprio iure auitae hereditatis partem petentes, admittendos esse autumant, renunciantis heredes sine distinctione obligari existimantium sententiam rationi magis consentaneam ducit, aequae, si ex libero paciscentis foeminae arbitrio renunciatio proficiscatur, ac, si statutum vel consuetudo eam efficiat, vel tueatur, rationem interse-



terferens, naturale esse, vt, quemadmodum spes in heredem  
 transfertur, etiam auferri possit, et respondere pactorum  
 naturae legibus conditae, vt heredes non excepti obligentur.  
 Idemque vir non magis nomine, quam eruditione et auctori-  
 tate, illustris simul testatur, hanc sententiam, inter Illustres  
 indubiam, etiam inter priuatos vsu seruari, Et SAM. STRYCK.  
*d. Success. ab Intest. Dissert. VIII. Cap. X. §. 77.* quanquam ne-  
 potes, matre praemortua, ad aui hereditatem admittentium  
 opinionem, ob eorum in foro auctoritatem, sua aetate, com-  
 munem concedit, contrariam tamen, praesertim si in statuto  
 vel consuetudine renunciatio nitatur, in priuatis veriore  
 agnoscit, in Principibus certissimam. Quocum sentiunt HARP-  
 PRECHT. *Part. II. Tractat. Academicor. Cap. I. Th. IX. num. 19 ff.*  
 et HENR. de COCCII *Tom. II. Disp. LVI. §. 15.* Ego vero,  
 quod palam profiteri non pudet, omnino non percipio, quae  
 demum idonea hac in re inter Principes ac ciues distinguendi  
 ratio cogitari possit, modo legitimam, quippe domini liber-  
 tati exemptam, exceperis. Quanquam enim obligationem,  
 legitimam bonorum patrimonialium relinquendi in Principi-  
 bus haud nego, exemplum non erit, vt ex aequali matrimo-  
 nio procreati, si renuncient, non tantum accipiant, quantum  
 istam legitimam longe superet, eorumque adeo hereditati re-  
 pudiationis periculum haud metuendum sit. Taceo, princi-  
 pum renunciationses circa successionem terrarum versari solere,  
 non patrimonialium bonorum. Ex inaequali autem connu-  
 bio natis nullam tribui in patris bona successionem, norunt  
 omnes. v. BURCHARD GOTTH. STRVV. *Iprud. Heroic. Part.*  
*II. Cap. II. §. 28 ff.* In priuatis igitur vere persuasum habeo,  
 hanc ipsam relinquendae legitimae, quibus eam leges adscri-  
 bunt, obligationem, peperisse illam iuris interpretum opinio-  
 nem, existimantium, patris ante auum mortui renunciatione  
 effici non posse, vt ab huius hereditate nepotes excludantur.

F

§. XXXVIII.



*Effectus renunciationis idem est in ascendentibus, qui in descendentibus.*

Positisque his, inter liberos renunciantis heredes, et non heredes, et inter legitimam renunciantis non heredibus tributam, et reliquam renunciatae hereditatis substantiam, distinctionibus, difficultatis nihil, neque ad caeteros quod attinet cognatos, renunciante remotiores, superest. Dubitationis nihil, quominus hereditatem, cui pacto tributa sit, eiusque heredibus vel totam addicamus, vel excepta legitima, si nimirum non renuncians ipse pactitiam hereditatem relinquenti, sed eiusmodi cognatus, repudiata renunciantis hereditate, superuixerit, cui legitima debeatur. Pertinet haec obseruatio inprimis ad stipulantis ascendentes, quibus scimus praeter liberos legitimam iure perfecto deberi. Ponamus videlicet, Titium, cui pater est, et auus, super hereditate cum Sempronio extraneo pactum fuisse, illiusque patrem, accepta legitima, pacto accessisse, filiique hereditati Sempronii comamodo renunciasse, eoque breui post vita defuncto, Titio dein mortuo, eius auum, repudiata filii sui, quippe Titij Senioris, hereditate, superstitem. Neutiquam dubito, huic auo legitimam ex hereditate sui nepotis adiudicare, illaeso caeteroquin pactitii heredis Sempronii iure successionis. Videtur quidem EXCELLENTISS. WESTPHAL in laudata Tractat. *Von der Wirkung eines Erb. Verzichts in Absicht der Nachkommen* §. 9. in ea esse opinionem, ut putet, renunciante ante filium defuncto, totam hereditatem auo deberi, omnique effectu pactum desituum. Quod colligo ex d. § phi 9. verbis; *Denn in der aufsteigenden Linie bekommen die entfernteren Voretern ebenfalls nur einen Stamm- oder Linien-Antheil, und niemand wird deshalb behaupten, dass ihre Kinder sich zu ihrer Eltern Nachtheil der Erbschaft der Enckel auf*



auf den Fall begeben können, wenn sie die Kinder vor solchen Enkel-  
keln versterben sollten.

§. XXXIX.

*Quae sententia contra WESTPHALIVM vindicatur.*

Equidem, oblato eiusmodi exemplo, largior, auum, repudiata filii hereditate, legitimam ex substantia a nepote relicta iure sibi vindicare, simulque defendo, reliquam hereditatem pactitio heredi deberi, eidemque integram eam adscribo contra auum, patris renunciantis heredem. Vim pacti patris renunciantis morte et aui interuentione non resolui, quod affirmat Vir Celeberrimus, ipsa principia euincunt, quibus vitur, ad conciliandum valorem renunciationi, a filio factae, contra nepotem §. 10 et 12. Siquidem agnoscit, iure hodierno non minus subsistere futurae hereditatis renunciationem, quam repudiationem delatae, adeoque sufficere, factam ab eo esse renunciationem, cui proximo ex lege successio debeat; Sufficere, auum nepoti hereditatem non debere, superstiti, qui vtrumque interfit, illius filio, huius patre. Sufficere, in obligationibus ex pacto prouenientibus initium rei spectandum esse, ac nihil obstare, quominus debita soluantur, antequam peti possint. Ex his consequi, ius hereditarium a patre, cui eo tempore debeatur, alienatum, huius filio deferri non posse. Haec omnia, non capio, cur magis ad nepotem ex renunciata a patre aui hereditate, quam, si pater filii hereditati renunciauerit, ad auum debeant pertinere. Quem admodum patris filius, non ex hoc nepos, heres est, sic filii pater, non auus. Igitur, si dici potest, ius, aliquando patris hereditatem capiendi, adeo in filii bonis esse, vt alienari, factaque alienatione nepotibus adimi possit, quod, quatenus probandum sit, mihi videor demonstrasse, non intelligo, cur patri



patri minus licere debeat, ius in filii bonis succedendi pacto remittere, et eiusmodi pacto, quo minus aucto successio deferatur, efficere. Vt potius, quia, respectu ab bonorum successionem habito, ius nostrum liberis magis fauet, quam parentibus, legitimamque, patre et filio superstite, huic, non illi hereditatem largitur, a maiori ad minus sit argumentatio, si ratiocinamur, quod respectu paternae hereditatis in damnatum nepotis filio licet, debere patri, intuitu bonorum a filio deferendorum, in aui detrimentum licere. Idem de fratribus et sororibus germanis consanguineisque dicendum esse, si pactum hereditarium in fauorem personae, infamiae vel turpitudinis vel leuis notae macula aspersi factum sit, patet se patet.

§. XXXX.

*De discrimine hac in re feudali et hereditariorum bonorum successionem intercedente.*

Quae res ex natura successionis beneficiariae nemini dubia videri debet. Ad quam quod attinet, ius succedendi parentibus fratribusque inuitis auferre non licet. In feudis enim successio patri fratrique regulariter nulla debetur, quae nouimus primo acquirenti eiusque filiis a domino directo conferri. Quod si vero pacto pater successionem potius, feudique noui inuestitura, more Langobardorum antiqui iure facta, vel Saxonum iure inuestitura simultanea patri tributa fuerit, patet, naturam et legem conuentionis spectandam, litaeque forte oblatas ex ea dirimendas esse. Eademque in feudis est conditio caeterorum agnatorum vel simultaneae inuestitorum, ut, quam prima inuestitura quaesierint successionem, ipsis inuitis a vasallo neque directe, neque per indirectum extorqueri possit. Quo iure hi ex dispositione



fitione primi acquirētis, vel ex sua conuentione fruuntur. Ut solum poſteri agnatorum aequē, ac ſimul inueſtitorum, factō a maioribus ſuis ſuſcepto ſtare teneantur. Quod, prout ſupra §. 24. monui, inde petendum, quia et Longobardico et Saxonico iure filium, ut beneficiariam in ſe a patre deuolutam ſucceſſionem conſeruet, huius heredem fieri, oportet, eumque haec ipſa ſanctio, ut omnia circa feudum, eius obligationem, deminutionem, quin alienationem ipſam, a patre ſuſcepta rata habeat, virtualiter obligat. Ex allodiis uero pleni domini iure poſſeſſis quum legitima filii horumue praemortuorum liberis, hiſque deficientibus, patri et, hoc praemortuo, auo ex ſucceſſione, quae morte contingit, debeatur, caeterorum uero bonorum ſucceſſio ab ipſius domini adeo uoluntate pendeat, ut illam pacto ualide definiat, conſequitur, ut, facta a patre filioe hereditatis renunciatione, ſucceſſio ad eum deuoluatur, cuius commodo renunciatum ſit, ut tamen, mortuo, ante hereditatis renunciatae delationem, renunciante, legitima decreſcat, remotiori renunciantis non heredi, cui eam leges adſcribunt, tribuenda. Conſequitur denique, ſi nemo ſuperſit, cui mortuus legitimam relinquere fueris obligatus, integram pactio heredi ſucceſſionem deſerri, ſuperuixerit renuncians, an minus. Huic meae ſententiae accedit GEORG. SAM. MADIHN in *Differt. de Efficacia pacti familiae illuſtris agnato remotiori ius ſuccedendi tribuentis* §. 27. dum aſſerit, per pactum ſucceſſorium effici non poſſe, ut quis iure perfecto deſtituatur.

§. XXXXI.

*Aduerſariorum argumenta reſcenſentur.*

Superſt, eorum, qui pacto renunciatiuo, ſi renuncians ante hereditatis delationem uita deſunctus ſit, eius liberos non obligari contendunt, cernere argumenta. Egerunt hoc



data opera HARTM. PISTOR. *Lib. IV. Quaest. VII.* GEORG. ADAM. STRVV. in *Dissert. de Pactis Renunciatiuis* *Len. 1666. Sect. V.* et MATTH. BERLICH. *Part. II. Conclus. XLIII. num. 14. § 99.* hosque secuti sunt IOH. HENR. WALDSCMID. in *Dissert. d. Pact. Renunciat. Cap. V. num. 6. Argentor. 1674.* TOB. IAC. REINHARTH. in *Dissert. d. Pacto hereditar. renunciat. heredes et successores non obligante §. 10. Erford. 1734.* et BERGER. *Oecon. Iur. Lib. II. Tit. IV. §. 48. not. 10.* qui, ne quidem de Illustribus aliter statuendum esse, affirmat. Argumenta, quibus ad persuadendam suae opinionis veritatem vtuntur, quaeque prolixissime persecutus est laudatus PISTOR. haec sunt. Primo, renunciacionem de hereditate viuentis, adeoque nondum delata, factam tacitam recipere conditionem, si renuncianti superstiti hereditas delata fuerit, quia, nisi deferatur, ne renunciari quidem poterit. Deinde, quia ius succedendi, quod liberis, si superfites parentibus fuissent, competere potuisset, diuersum ab eo sit, quod competat nepotibus post liberorum obitum auo vel auiae succedentibus. Etenim illorum praerogatiua, et per renunciacionem exclusorum ius ad hos non transmitti, extingui potius, et in persona nepotum novum ius incipere, quum hi, semotis liberis primum gradum obtineant, et proprio iure succedant; adeoque renunciacionem, directam ad ius liberis renunciantibus competiturum, ab hoc diuersum ius nepotum tollere non posse. Porro renunciaciones eiusmodi stricti iuris esse, ac de vno iure factas ad alterum non expressum aequè minus extendi posse, ac pactum de certa re vel cum aliqua persona initum alteri rei vel personae obesse; adeoque debere hanc restrictionem eo magis obtinere, quo magis contra naturam eiusque ordine turbato fiat, vt ante parentes liberi moriantur, et ex hoc probabile non sit, vt de hoc tristi euentu paciscentes cogitauerint. Denique hanc sententiam iis, quorum praecipua sit in foro au-  
 stori-



fortitas, probari. Has rationes PISTOR. tanti ponderis esse censet, vt neque legitima renunciantibus soluta, neque ab his facta liberorum suorum mentione, neque hereditaria obligatione a liberis renunciantium suscepta, contrarium effici existimet. Hisce rationibus etiam hanc addit BERLICH. c. l. quod filii ante patrem defuncti exhereditatio nepotum successioni non obster.

§. XXXXII.

*Horum argumentorum refutatio.*

Principiis, quibus nostram sententiam superstruximus, imbuto vix speciosa videri haec argumenta possunt, tantum abest, vt vera esse, sibi persuaderi patiatur. Hoc vnum verum est, nepotes patre orbatos, suo iure, non a patre in se deuoluto, aut heredes esse, patrisque personam referre, non vt heredes sint, sed, vt gradu patris aequales fiant, et ex hac fictione portiones hereditatis constituentur. Inde vero minime conficitur, pacto renunciatio tacitam conditionem inesse debere, si renunciati hereditas deferatur. Quis non intelligat, hanc ideam ICIS ex natura successione hereditariae iure Romano expressae enatam esse. Quod ex legibus a PISTOR. et BERLICH. in auxilium vocatis omnino liquet. Hoc iure non dissentio, conuentione ad futuram hereditatem directa nihil effici, si hereditatis delationi renunciatus non superuixerit, sed nec, superstitio eo, quicquam efficiebatur. Pacta successoria iuri publico aduersari existimabantur, et ex in vi obligandi destituebantur. Quae dum hodiernis moribus legibusque iuuantur et sustinentur, facta ex turpibus honesta, ex illicitis licita, natura licitorum aestumanda, ob eamque causam, et ob rei originem, animumque paciscentium, quod ab initio huius dissertationis mihi videor demonstrasse, pacta



~~\_\_\_\_\_~~  
 pacta renunciatiua, facta heredum mentio sit, an minus, realia, seu ad heredes, ad ius aequae, ac obligationem quod spectat inde profluentem, transitoria existimanda. Et quum viderimus, animum, filiam cum omnibus eius posteris a successione in bona paterna remouendi, pacta renunciatiua peperisse, quis PISTORI ET BERLICHIO concefferit existimantibus, paciscentes non cogitare de morte renunciantis citius, quam renunciati, vt ita dicam, euentura, quod haec contra mortalitatis legem eueniat. Vt potius ex modo dicta ratione paciscendi necessarium sit, praeter renunciantem simul eius liberos heredescque cogitare. Sufficit, ius nostrum permittere, super futura hereditate pacisci, rationemque et ordinem succedendi pacto definire. Sufficit, in aestumandis obligationibus pactitiis initium pacti spectandum esse. Ex his enim consequi, vt ius succedendi a renunciante in eum transferatur, cuius commodo renunciatum sit, modo legitimam, quatenus remotiori, non facto renunciantis heredi, ex lege debetur, eximas, supra prolixius demonstraui.

### §. XXXXIII.

#### *In redarguendo continuatio.*

Quod defendere student aduersarii, ne posse quidem hoc pacto, quamuis id egerint paciscentes, effici, vt, non delata renuncianti hereditate, obligatio in huius posteros, heredes, an minus, transmittatur, ne quidem subiectis isti opinioni argumentis responderet, et iuris rationi, ad heredes potissimum quod attinet, omnino repugnat. Obligari enim heredem, qua talem, vt iure, quod aliunde habet, non vratur, si talis vsus sit impugnatio facti antecessoris, supra §. 27 sq. euici. Vt vel ex facto quodammodo illicito heres obligari possit, quod legatum rei alienae ab herede praestandum demon-



demonstrat. Quam ob rem, quod etiam supra monui, vel fideicommissarius fiduciarii heres fideicommissum ab hoc alienatum vindicare prohibetur. Quod ipse PISTOR. vt monui, *Lib. II. Quaest. LX. num. 9.* agnoscit. Esse vero magis restrictam domini licentiam circa res hereditarias, quam restitutioni obnoxias, liberioremque, ab obligatione pactitia in illis, quam in his, versante, recedendi heredis potestatem, huius quidem rei lubentissime probationem exspecto. Quae quum ne cogitari quidem possit, et aequae minus propugnari, desinere in renunciante ante hereditatis delationem mortuae obligationem, quippe quod in proposito exemplo contra expressam pacti legem esset, in aliis vero, vt fusius demonstratum est, contra naturam pactorum generalem et contra nostri rationem, res necessario eo redire debet, in heredem renunciantis integram pacti obligationem transire, non heredi praeter legitimam ex lege debitam nihil de renunciata hereditate deferri posse. In fin. §. 42. adductum BERLICHII argumentum Spho 14 sq. confecisse mihi videor demonstrato, quod pactitiam ac testamentariam successionem interest, discrimine. Nec minus ex absoluta hac mea probatione claret, inutilem esse LEYSERI *Spec. CCCCXXII. Medit. III.* otiosamque inter liberos ante et post renunciationem natos distinctionem.

§. XXXXIV.

PÜTTERVM non contradicere demonstratur.

Quae in Illustris IOH. STEPH. PÜTTERI *Dissert. de iure feminarum adspirandi a fideicommissa familiae, et de earum renunciatione, quae sit extincta iam stirpe masculina, Marburgi anno huius seculi XXXXV. habita §. 54.* legimus; clare liquet, feminam talem suo quidem ipsius iuri, at non posterorum, suorumque iuri



iuri iam antea quaesito, renunciare, sed potius posteros hosce bona auita, quibus femina genitrix renunciauit, a quocunque reuocare posse, nostram controuersiam planè non ingrediuntur. Si neminem quidem praeterire potest, rem esse Viro Illustri cum foeminis, quibus successio non hereditario iure, sed ex fideicommissio, vel ex maiorum, vt loqui solent, prouidentia debetur. Verum, hoc etiam succedendi ius nostro Saxonico Electorali iure matris renunciatione vel alienatione in feudis omnino, in fideicommissis plerumque amitti, supra §. 24 sq. demonstrauit. Taceo, in *laud. Dissert.* tractari de natura antiquae successiois Germanorum in bonis auitis, eundemque Virum Illustrè in *auserlesenen Rechtsfällen Tom. I. p. 160. n. 39.* agnoscere, ius Patrium, et antiquas consuetudines non aequè priuatis patrocinari, atque nobilibus, (puta immediatis) quum illorum respectu, de mutata successiois in Germania per iuris Romani introductionem ratione dubitare, non liceat. Ex quo consequitur, quum hoc iure dominii libertas longe amplior prodeat, nouoque iure licentia de futura hereditate paciscendi accesserit, eiusmodi pactorum vim hodie heredes obligare, non heredes, sola legitima excepta, successioe destituere.

§. XXXV.

*Aliae aduersariorum opiniones commemorantur, et, loco refutationis ex praemissorum repetitione, VATELII dictum adiicitur.*

Alii, quum viderint, opinionem eorum, qui obligationem pacti ad liberos praedefunctae renunciantis filiae pertinere omnino negant, quosque §. 41. nominavi, cum natura hereditariae obligationis conciliari non posse, sic distinguunt, vt alii, facta in renunciatione mentione heredum, et eius euentus, si non sibi sed ipsis heredibus suis hereditas deferatur,



liberos renunciantis heredes factos teneri largiantur, quod fa-  
 cit ANTON. FABER in *Cod. Lib. II. Tit. III. Def. XIV. num.*  
*13. sq.* hunc secutus CARPZOV. *Part. II. Const. 35. def. 12.* et  
 GEBH. CHRIST. BASTINELLER in *Dissert. d. Pacto Successor. cum*  
*paciscentis persona intereunte §. 26.* alii heredes, modo eorum  
 facta sit mentio, obligari dicant, BARTHOL. KELLENBENZ  
*Tractat. d. Renunciatt. Qu. 33. num. 46. sq. MEV. V. Decis. 349.*  
 LYNCKER *Respons. 60. num. 13.* IOH. VLR. CRAMER *Opuscul.*  
*Tom. I. Opusc. III. Cap. II. §. 52.* Laudatus BASTINELLER,  
 quum ista limitatione non satisfieri obligationi, qualem parit  
 hereditas, et quam §. 28. exposui, perpexisset, obligationem  
 ex renunciatione proficiscentem ad renunciantis heredem  
 omnino pertinere in *Progr. Dissertat. Ioan. Godofr. Schwen-*  
*kii inaugurali de Iure circa rapinas*, moderante AVGVSTIN.  
 LEYSERO anno huius seculi 1732. praemisso, concessit. Caete-  
 rum vero hi omnes, filiorum renunciatione nepotes, si his, ex  
 praenaturo illorum obitu, renunciata aui hereditas deferatur,  
 non comprehendendi, contendunt. Quorum omnium opinio,  
 dum supponit, pacto renunciatiuo, tacitam, si renuncianti  
 hereditas deferatur, conditionem inesse, quod suppositum a  
 natura rei alienum esse §. 42. mihi videor abunde comprobasse,  
 ab eadem crambe saepius recoquenda eo lubentius abstineo,  
 quo certius scio, meam sententiam inniti principiis ex rei sub-  
 iectae natura curiosè conquisitis et iuris rationi consentaneis,  
 et quo magis spero, veritatis amantium assensu eam vix de-  
 stitutum iri. Eadem est, quam VATELIVS in *Observat.* ad  
 WOLFIVM paucissimis verbis profiteretur. Hic, postquam de  
 pacto nostro in verbis antecedentibus dixerat, sic pergit:  
*Lorsqu'un bien, ou un droit, appartient au pere en toute proprie-*  
*té, les enfans n'y succedent, que comme il peut se faire, ce bien,*  
*ou ce droit, ne ce trouve plus dans la masse de ses biens, et ses en-*  
*fans ne peuvent en hériter. Mais lorsque le pere ne peut point dis-*  
*poser*



poser de ce bien, ou de ce droit, à sa volonté; (hanc vero facultatem non minus circa legitimam, nepotibus auisque adscriptam, existimo deesse, quam in bonis ex lege fideicommissaria, quae medietur VATELIVS, restituendis) lorsqu'il ne le possède, qu'en vertu d'un loi, suivant la quelle il doit passer à sa posterité, dans un certain ordre; il n'a pas le pouvoir de changer, ou d'annuler cette loi. Il peut renoncer pour lui-même au bénéfice, qu'elle lui donne, mais sa renonciation ne change rien à ce qui concerne ses descendens, lesquels parviennent à leur tour, à moins que celui, ou ceux, qui ont fait la loi, n'ayent le pouvoir de l'abroger, et ne l'abrogent en effet. Et HOMMELIVS CAR. FERDIN. VIR, quem propius noui veritatis sensu egregie pollentem, *Rhaps. Observ. LV.* quanquam contrariam sententiam communem dicit, adiectis verbis, *non penitus assentior*, ipsisque VATELII verbis trans scriptis satis declarat, se a nobis non dissentire. Meminique, eiusmodi controuersia nostro Collegio oblata, sententiam nos eius consensu tulisse, principiis hoc libello expositis consentaneam.





ULB Halle  
002 802 503

3



*Sb.*











1783,5

P A C T O  
HEREDITATIS RENVNCIATIVO  
PERFECTO, CAETEROS RENVNCIATI  
LEGITIMOS HEREDES, RENVNCIANTE REMOTIORES,  
VEL OMNINO NON, VEL IN SOLA LEGITIMA  
ADMITTENDOS ESSE.

1783,5

D I S S E R T A T I O.

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV  
P R A E S I D E  
D. HENRICO GODOFREDO BAVERO

HEREDITAR. IN STOETTERIT. PROF. COD. ORD. ECCLES. CATHEDR.  
MERSEBURG. CAPITVLAR. SERENISS. SAXON. ELECTOR. A CONSILL.  
PROVOCATT. SVPR. CVR. PROVINC. ET COLLEG. ICTOR. LIPSS.  
ASSESS. COLLEG. DVICAL. MINOR. SODAL.

IN AVDITORIO ICTORVM  
SVMMORVM IN IVRE HONORVM CAPESSENDORVM  
CAVSA

D. III. IVL. A. C. MDCCCLXXXIII.  
AD DISCEPTANDVM PROPONIT  
IOANNES GOTTLIEB ZSCHASCHLER

IVR. VTR. CANDIDAT.  
D R E S D E N S.

L I P S I A E  
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

